adprobamus, ut unius causa debiti rerum fiat[i] omnium[k] perditio vel persone. Quodcumque igitur contra legis huius decretum conscriptum placitum sive definitio facta fuerit, ubicumque repperta fuerit, vacua omnismodis et invalida reputetur.

VIII. ANTIQUA.

Quod omnis scriptura vel definitio, que per vim et metum extorta fuerit, valere non poterit.

Pactum[1], quod[a] per vim extorserit persona potentior vel inferior, sive placita vel reliquas scripturas, id est, si ille, qui paciscitur, aut in custodia mittitur, aut sub gladio mortem[c] forte timuerit, aut ne[d] penas quascumque vel[e] ignominia[f] patiatur, vel certe si aliquam iniuriam passus fuerit, huiusmodi pactio vel scriptura quelibet nullam habeat firmitatem.

VIIII. FLAVIUS GLORIOSUS RECCESSVINDUS REX.

Que scripture valere poterunt[a], si ab his facte fuerint, qui[b] sunt in annis minoribus constituti.

In minoribus annis constitutis testandi de rebus suis vel alias quascumque definitiones faciendi seu per scripturam sive per idoneum testem, in quibuscumque personis elegerint, infra quartum decimum annum non illis aliter licentia erit, nisi gravis langor occurrerit, per quod eos fortasse mori suspicio sit. Quod si eos necessitas huius cause conpresserit, utrisque[c] a[d] decimo etatis ipsorum[e] anno faciendi quod voluerint libertas plena manebit[2]. Quod si ab egritudine convalescere potuerint, quidquid eos ordinasse constiterit, totum invalidum erit, donec aut rursus egrotantes iterum que ordinaverant nova ordinatione reforment, aut venientes usque ad plenum quartum decimum annum in omnibus iudicandi de rebus suis liberam habeant absolutamque licentiam. Ab infantia vero vel in qualibet etate dementes effecti et in eo vitio absque[k] intermissione temporis perma-

i) faciat R1. k) definitionem R1.
VIII. a) quod R1. b) Que *pro* Pactum quod R1. c) morte R1. d) nec R1. e) aut R1. f) placito R1.
VIIII. a) *ita* E1; potuerunt R1; poterint *corr.* poterunt R2. b) que R1. c) utriusque R2. d) ad decimum R1. e) ipsarum R1. f) *deest* R1.

1) *Cf. Cod. Eur.* c. 286. 2) *Cf. infra* IV, 3, 4.